



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quare Deus permittit haereses fieri per dulces sermones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

refis Græcè, electio Latinè dicitur, quia tales sibi eligunt singularem scripturæ intellectum: & hæc glossa facit eos hæreticos, non scriptura: nulli hæreticorum deest scriptura, sed catholicus intellectus. Tales vocat etiam Apostolus Philipp. primo, canes, eo quia latrant contra veritatem ex ira & invidia: malos operarios, quia sunt destructores honestæ vitæ, & divisores Christiani populi, & sunt quasi vlcus pestilitatis quod hominem interficit: ita ipsi per contagionem lædunt vnitatem.

Secundò, sunt plures causæ quare Deus permittat hereses & schismata: primò, vt probentur electi, sicut dicit Apostolus 1. Corin. 11. Oportet esse hereses, vt hi qui probari sunt, manifesti fiant. Sic etiam docuit Moyses populum Deut. 13 inquiring: Si surrexerit in medio tui propheta &c. non audies verba illius, quia tētat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum in toto corde vestro & in tota anima vestra, &c. Ergò qui rectè Deum timent & diligunt, non segregant se ab Ecclesia: porrò permittit Deus hereses ad firmiùs credendum verbis Christi & ipsius Evangelio, quando videmus sic euenire, sicut Christus & sancti Dei homines prædixerunt. nam Christus prædixit futuros pseudoprophetas Matth. 24. & constantibus in fide promittit beatitudinem: & Apostolus dicit nouissimis temporibus fieri discessionem à fide, 1. Timoth. 4. & in 2. Timot. 3. & capit. 4. prædicit futuros doctores, qui prurientibus auribus dicturi sunt placentia, & facient apud homines contemptum sanæ doctrinæ, & Romanor. 16. iubet declinare qui per dulces sermones seducunt corda simplicium, non Christo, sed ventri suo seruientes. per dulces autem sermones intelliguntur omnia, quæ mundanis placent, vt sunt detractio clericorum, contemptus excommunicationis, licentia vel libertas faciendi quid velint contra disciplinam Ecclesiæ, & similia.

EE ; Deindè

Deindè permittit Deus hæreses ad nostram correptionem, vt vel vitam nostram emendemus, vel diligentiùs scripturam inuestigemus. Ecclesia enim proficit in doctrina per vexationem hæreticorum, sicut docet Augustinus super Ioan. Si enim non surrexisset quondam Arrius, non sic Ecclesia fuisset edocta in mysterio de S. Trinitate: Si non venisset Nouarus, non sic de vera pœnitentia clarè docuisset: si non vexasset Donatus, nec sic vnum tantùm baptisma contra rebaptizatores, asseruisset, &cæt. Est igitur hæresis virga & flagellum Ecclesiæ. quòd si nos emendauerimus, & è sopore ignorantia & ocij euigilauerimus, citò Deus subtrahet flagellum: si autem minus, tunc priuat nos fide & sacramentis, & ea reuelat alienis nationibus, vt ea faciant fructus Euangelij, vt patet in Græcia, quæ ob malam conuersationem & peccatum amisit fidem, sacramenta ac ceremonias, iurisdictionem, politiam & omnia, quia defecit à catholica & Christiana fide. Olim erat flagellum in Anglia Vuicleff, in Bohemia Hus, in Germania Luterus, nunc in Gallia Calvinus: & quia nulla sequitur emendatio, ideò nec cessat plaga hæreseos. Tertio, monet Apostolus Titum tertio cap. hominè hæreticum post vnam aut alteram admonitionem detrahendum esse, quia subuersus est, scilicet à fide & sensu catholicae Ecclesiæ. Si furiosum hominem aut infectum veneno pestilitatis fugimus, quanto magis fugiemus hæreticum, qui animam nostram lædit & inficit: nam multùm proficiunt ad impietatem, 2. Thimoth. 2. quorum sermo vt cancer morbus seipit: proprium est illis, vt apud quosuis etiam in conuuijs diffament & detrahant religioni catholicae, ideo, vt eis solùm credatur. Iubet itaque Apostolus, vt tales fugiamus, & Christus præcipit cauere & attendere à falsis prophetis, Matth. 7. sed hoc non fit causa, quia eorum sermo inficit & seipit in corde.

rigora